DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

DE

HYDROCELE

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS IURIBUS ET PRIVILEGIIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE IENENSI

RITE OBTINENDIS

DIE XXIX M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXL

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUST. LAURENTIUS SCHULZE

SAXO.

IENAE

TYPIS SCHLOTTERI.

VIRO

ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO

A. PECH

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA DRESDENSI INSTITUTI CLINICI CHIRURGICI DIRECTORI COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Praefatio.

Campus medicinae ut est amplissimus perque multiplex, ita etiam largam et divitem summo studio ac maxima diligentia materiam praebet pertractandam. Quare jam inde ex antiquissimis temporibus viri acri ingenio praediti, qui per multos annos naturae inservientes et studentes intimas ejus et occultissimas leges et mysteria aliqua ex parte indagaverant, commodo hominum morbis affectorum quae repererant collegerunt, collecta memoriae prodiderunt, ita ut nunc vix locum reperire possimus, quem homines doctissimi et sagacissimi in literarum gratiam nondum studiosissime et accuratissime pervestigaverint et perquisiverint. Jam vero quum mos sit et antiquissimus et honestissimus, ut, qui summos in medicina adipisci velit honores, ex amplo artis medicae campo particulam sibi eligat eamque diligentissime cultam et tractatam viris, apud quos summum est in medicina judicium ad dijudicandum publice proponat, circumspicienti mihi et consideranti

nihil aptius magisque idoneum visum est, quam de hydrocele scribere, qua quidem ipse aliquando et affectus fui et postea operatione radicitus sum liberatus.

Quamquam vero in hoc morbo gloriari mihi non licet, me meo ipsius ingenio et acumine novam rationem vel novum remedium invenisse, quibus ars medica, modo ea omnino hac via possit, vere aucta et exculta sit: tamen id affirmare possum, me in tractando et describendo, quem mihi proposui, morbo omnes meos nervos intendisse summoque studio annixum esse, ita ut non desperem, fore ut hae meae literarum primitiae benigne excipiantur et clementer dijudicentur.

§. 1. *Exponitur quid sit hydrocele.*

Hydrocele est insolitus et nimia (modumque excedens) congeries humorum in tunica vaginali propria testis. Sunt quidem qui etiam congeriem humorum in tunicis scroti hydrocelen dicant; at is prorsus alius morbus est, et ut infra accuratius demonstrabimus, ad id morborum genus numerandus, quod anasarca et oedema nominatur.

§. 2. *Ratio anatomica tunicae vaginalis propriae testis.*

Quo melius et accuratius varia hydroceles genera et species noverimus et distinguamus, opportunum et necessarium mihi esse videtur, paucis proponere, quae et qualis sit, quando anatomiam respexeris, tunicae vaginalis propriae ratio et quomodo peritonaeum per canalem inguinalem in scrotum descendat, neque solum funiculum spermaticum, sed etiam testes ipsos circumdet.

Quoad foetus utero matris inclusus est, canalis inguinalis et annulus abdominalis patent, testiculi infra renes jacent, solo peritonaeo inclusi, quod eos ex-

cipit, ut intestinum tenue a mesenterio excipitur. Mense quinto sextove embryonis — quo vocabulo brevitatis causa uti mihi liceat — teste paulatim ex peritonaeo per canalem inguinalem in scrotum descendente involutio peritonaei ita mutari incipit, ut forma contraria sive evolutio existat, hoc quidem modo, ut pars peritonaei testem circumdans ab eo non sejungatur, sed cum eo conjuncta esse permaneat, quo fit, ut hoc temporis spatio facillime per hanc evolutionem ex cavo *peritonaei* per canalem inguinalem in tunicam vaginalem propriam testis penetrare possis, hujus evolutionis paulatim summa pars, quam radicem dixeris confibulatur, ita ut nil nisi filum tenue remaneat. Ita tunica vaginalis propria testis saccum serosum undique clausum efficit, in quo testiculus una cum epidymide ut cor in pericardio, sic involutus est, ut hujus sacci pars una cum illis involuta, quae lamina est interior, extremum testiculi involucrum, serosam tunicam testis, efficiat, dum exterior sacci lamina cavum amplectitur, in quo testiculus maximam partem libere dependet. Tunica vaginalis communis testiculi et funiculi spermatici membrana est fibroso - cellulosa, quae in regione annuli inguinalis posterioris sive interni cum fascia transversali cohaeret, superiorem funiculi spermatici partem includens per canalem inguinalem descendit et, posteaquam in scrotum intravit, non solum inferiorem funiculi spermatici partem circumdat, sed etiam testiculum a tunica vaginali propria testis circumclusum in parte extrema, quae capacior est et clausa, excipit. Quae vagina membranacea cum funiculo spermatico cumque tunica vaginali propria testis crescendo ita coaluit, ut intus cavernam patentem non contineat.

§. 3. *Qua ratione hydrocele oriri possit.*

Hydrocele ut nascatur necessarium est, membranam, quae humores nimios secernat, membranam serosam esse et secundum naturae leges formam sacci sive marsupii habere. Hanc ob causam falsa est opinio eorum, qui hydrocelen definiunt morbum, quo nimii humores in scroti membranis confluant et congerantur. Nam non tunica vaginalis communis, sed sola tunica vaginalis propria testis hydrocelen efficere potest, utpote quae processus peritonaei tunica serosa est et, quod jam supra §. 2. accuratius demonstravimus, in saccum sive marsupium undique clausum exit, dum tunica vaginalis communis, quae cum fascia transversali arctissime cohaeret ejusque processus est, ad tunicas fibroso-cellulosas pertinet neque cavum efficere potest. Ubi igitur inter tunicam vaginalem communem humores modum legitimum excedentes confluxerunt, anasarca et oedema dicendum est. Porro ut omnio hydrocele oriri possit, prorsus, opus est et necessarium, tantam humorum copiam ex sanguine exhalari, quantam vasa resorbentia imbibere nequeant, quo fiat necesse est, ut exhalatione et resorptione imparibus nimia humorum copia colligatur.

§. 4. *Symptomatologia hydroceles.*

Hydrocele, quae, ut Sir Astleyus Cooper observavit et exposuit in libro, qui incriptus est „de formatione et morbis testiculi", ex adversum inferiorem testiculi partem incipit, tumor est dolore vacuus, ita ut ab aegroto plerumque fortuitu tantum animadver-

tatur. Quem tumorem ubi compresseris, digiti facillime eo inferri possunt, ut testiculum accuratissime attrectes; crescendo autem tumor intenditur testemque tegit. Formam habet piro similem hoc modo, ut pars latior testi exadversus posita sit, tenuior vero sursum versus annulum abdominalem ascendat, ejusque ambitus, quo propius annulo abdominali accedit, eo magis imminuatur. Pertractando tumorem aequum reperies et dolore carentem; ubi autem hydrocele satis accrevit pondusque majus nacta est, sensum, ut facile est intelligendum, excitat injucundum, hebetem, trahentem qui inde a scroto ad inferiorem dorsi partem regionemque renalem ascendit, quippe quum pondere aucto funiculus spermaticus detrahatur et distendatur. Quod vero in universum aegroti valetudinem attinet ex hydrocele quibusdam incommodis exceptis malum grave et periculosum non existit.

Qui hydrocelen accuratius et diligentius anquisiverunt et inspexerunt, tumorem primo quidem tempore semper perspicuum repererunt, quare ii non sunt audiendi, qui perspicuitatem negant, utpote qui non tam vera hydroceles natura, quam indiligenter et incuriose de morbo quaerentes ad falsam istam opinionem deducti esse videntur. Ad perspicuitatem tumoris cognoscendam Astlejus Cooper, vir illustrissimus, hanc fere praecepit rationem instituendam. Homine ex hydrocele laborante in conclave omni luce carens ducto et candela dilucidissime flagrante scroto quam maxime admota, medicus oportet posteriorem tumoris partem ita amplectatur, ut partem anteriorem vehementius intendat, quo plerumque fieri solet, ut manu laeva an-

teriori scroti parti apposita ex adverso candelae tumorem adspiciens lucem perlucentem animadvertat, dum in inferiore scroti parte testiculus corpus opacum cernitur. Interdum etiam ne candela quidem opus est, luce diurna jam sufficiente ad perspicuitatem tumoris probandam. — Praeterea etiam hydrocele fluctuatione declaratur, quae optime animadvertitur, si manu laeva posteriorem scroti partem plicando contrahis, digitisque dexterae superficiem intentam pulsas vel hoc quoque modo ut volam alteri tumoris parti apponas, alteram digitis percutias. De perspicuitate tumoris vero hoc quoque tenendum est, eam tantum adesse, quoad tunicae vaginales nondum densatae sint, tum enim ea prorsus evanescit. Apud eos, qui hydrocele afficiuntur, testiculus plerumque infra eam jacet et in posteriore quidem scroti parte, qua compressa dolor excitatur, tamquam testiculus ipse acrius tangatur vel prematur. Hydrocele tumor est mollis et mobilis, qui, ubi proximam funiculi spermatici partem non multum extendit, secundum A. Cooperum ad alvum rejici et quoquo versus moveri potest. — Humor denique ipse in tunica vaginali propria testis ut de eo quoque agamus, limpidus est, subviridis, flavescens, viscidus, sapore salsus, putidus; coagulatur calore, acidis, alkohol, vino Calensi, zinco sulphurico soluto. Maximam partem albumine, acido galactico, osmazomate, natron variisque salibus constat.

§. 5. *De hydroceles speciebus.*

Hae sunt species hydroceles distinguendae: 1) hydrocele congenita. 2) h. acquisita. 3) h. cystica sive Schregeri.

Hydrocele congenita dicitur, si processus peritonaei, qui post descensum testiculi secundum naturae leges plerumque clauditur, patet, et in cavo tunicae vaginalis propriae nimia humorum copia confluit. Tum cavum abdominis cum cavo tunicae vaginalis propriae proxime cohaeret, quare aqua hydroceles facillime in cavum abdominis reprimi potest.

De hydrocele acquisita nunc tacere licet, quum jam supra §. 1. de ea statuerimus, eaque nil est, quam quem loco citato diximus morbum; hydrocele cystica autem eam nominamus, si in parte aliqua processus vaginalis non obliterati peritonaei humores contra naturam confluxerunt.

§. 6. *Hydroceles diagnosis.*

Si tumor in inferiori tunicae vaginalis propriae parte paulatim provenit, dolore vacuus, aequalis, fluctuosus, cujus circuitus inde ab imo versus annulum abdominalem sensim crescit, porro si tumor sursum extenuatur, deorsum latior fit, ita ut formam piro similem exhibeat, ac si denique tumor perspicuus est; nihil est dubitandum, quin hydrocele adsit.

Jam vero quum in medicina non raro accidat, ut morbi natura et indole inter se diversi propter similitudinem quandam, quam prae se ferunt, externam permisceantur, eamque ob causam falso tractentur et curentur, ne nosmet ipsi in eundem forte errorem inducamur, breviter de iis morbis egisse juvabit, qui hydrocelae similes esse videntur.

§. 7. *De morbis, quibuscum hydrocele facile confundi potest.*

Sunt autem morbi, quibuscum hydrocelen confundere caveas, fere hi:

1) hernia inguinalis externa, quae scrotalis facta est. Negari non potest, herniam cum hydrocele interdum similitudinem quandam exhibere externam, tamenque revera ita sese differunt, ut, accuratius inquirens ne momentum quidem in dubio esse possis. Hernia enim, ut ab ortu egrediamur, aliam ducit originem, quam hydrocele; porro in hernia intentionibus corporis, e. gr. tussiendo, sternuendo, clamando, ridendo aliisve, tumor admodum augetur, in hydrocele non item; illa reposita omnis tumor evanescit, in hac remanet; ubi hernia adest, tumor superne incipiens desuper in scrotum descendit, in hydrocele ab imo gradatim ad annulum abdominalem ascendit; herniae formam habet botulo similem neque solum deorsum descendit, sed etiam extrinsecus pergit introrsus, hydroceles contra piro similis est et ita quidem ut pars latior infra, tenuior supra posita sit. —

Jam vero quum id quoque accidere possit, ut dubites, num malum hydrocele sit an enterocele coalita, quae reponi non potest, attrectatio cardinalis omnem dubitationem amovebit, hoc modo, ut digitos posteriori scroti parti proxime os pubis apponas, pollicem vero in anteriore parte juxta annulum abdominalem inprimas. Tum enim, si hernia adest, partibus scroti digitis compressis inter annulum abdominalem et tu-

morem neque spatium inane senties, neque vas deferens, neque funiculum spermaticum; in hydrocele autem acquisita tunicae vaginalis propriae testis inter eosdem vas deferens laqueo simile atque funiculum spermaticum attrectabis; nunquam hydroceles tumor usque in annulum abdominalem extenditur.

At non solum cum hernia inguinali hydrocele interdum confunditur, sed etiam

2) cum varicocele. Hic tamen morbus inde cognosci et ab hydrocele distingui potest, quod tumor simulatque aegrotus recubuit, evanescat; praeterea etiam plexus venosus pampiniformis lumbricorum formam habens tantum ad veram rectamque diagnosin valet, ut medicus accuratius inquirens non facile in errorem induci possit.

3) Tertius morbus, quocum hydrocelen permisceri posse credideris, est haematocele; revera autem prorsus aliam habet originem et naturam, quum non nisi vi extrinsecus illata e. gr. ictu, pulsu aliisve nascatur, et quod maxime est tenendum, in eo constet, ut multus sanguis tum in diversas, quibus scrotum abtegitur, partes, tum in ipsum testiculum immittatur.

4) In induratione testiculi, quacum hydrocele haud minus est cavendum ne commisceatur, testiculus durus est, inaequalis, dolens, quae symptomata in hydrocele nulla reperiuntur. Ceterum quidem una cum induratione testiculi hydrocele conjuncta esse potest, sed id nihil huc pertinet, nam tum duo mala sunt curanda, hocque tantum optandum, ut medicus eo majorem et cautiorem adhibeat curam et diligentiam.

5) Porro a medico minus cauto ac diligenti hydrocele confundi potest cum hydrosarcocele. In hoc enim morbo aeque ac in hydrocele tumor fluctuosus est, sed non tam aperte et distincte, ut optaveris, immo accuratius inquirendo semper aliquid duri observabis. Quam indurationem ut in hydrocele inveterata accidere potest, ne ex tunica vaginali densata ortam putes, hoc tenendum est, illam in hydrosarcocele semper in scroti fundo reperiri. Indicium certissimum testiculi una male affecti, dolor est trahens et injucundus, qui inde ab interiore femoris parte vel ab una usque ad regionem lumbalem et renalem pertinet.

6) Morbus sextus, qui interdum hydrocele haberi petest, sarcocele est. Ubi hoc malum solum provenit vix in errorem vel dubitationem induci potes: tum enim structura testis immutata est, testisque ipse plerumque scirrhosam vel sarcomatosam exhibet indolem; ubi contra, quod non raro accidit, sarcocele cum hydrocele conjuncta est, diagnosis multo difficilior et incertior erit. Ceterum sarcocele in iis tantum certo statuenda esse videtur, quorum totius corporis natura ac ratio male affecta est, quare homines cachectici et dyscratici ei maxime obnoxii sunt, dum hydrocele in iis ipsis, qui optima gaudent valetudine, oriri potest.

7) Postremus demum morbus, ad quem nunc venimus, qui cum hydrocele interdum similitudinem quandam externam habere videtur, fungus medullaris testis est. Sed hoc quoque malum revera ab hydrocele mirum quantum differt, tactu enim est pulti similis, quandoque satis diu duravit cute attenuata

rumpitur multumque fluidum excrementiticium cruentum profluit; ceterum hic quoque tumor non per se apparet, sed ubi totum corpus gravius affectum est et vexatum.

§. 8. *De causis hydroceles.*

Causae hydroceles maximam partem prorsus sunt ignotae, ac saepe malum in hominibus validissimis ac sanissimis sponte apparet; ante omnes autem ei infantes obnoxii sunt, et ex his quidem praesertim ex dyscrasia scrofulosa laborantes, utpote in quibus omnino plus humorum facillime exsudari solet, quam a vasis resorberi possunt; sed nec non senes ei objiciuntur, quae res inde maxime explicanda est, quod non solum in infantibus aeque ac in senibus vis vitalis minus valida est et potens, sed etiam sanguis justo cruore et fibrina eget humoresque ac fluida abundant ac praevalent. Alia causa hydroceles etiam in inflammatione chronica quaeri potest, quae tunicam vaginalem propriam testis vehementius irritat, quo non solum vis vitalis aliquanto augeatur, sed nimii quoque humores exsudentur necesse est. Eodem modo vi extrinsecus illata, pressura scilicet, ictu contusione, femoribus decussatis et superimpositis, vehendo in viis salebrosis et asperis, vel equitando in equis exsultantibus hydrocele excitatur. Non raro etiam vel perfrictio testiculi, vel inflammatio urethrae, vel syphilis morbum commovere, nec non interdum brachierium corpori vitiose applicatum hunc morbum creati sed saepissime in hydrocele orta ex omnibus his causis nulla est mater mali accusanda: id vero certissime

constat, omnes quas attulimus causas ejusmodi esse, ut iis auctoribus majorem humorum copiam in tunica vaginali propria confluere necesse sit. Quod hydrocele interdum etiam innata esse videtur, quum eveniat, ut omnes fere homines ex eadem gente orti ea afficiantur, hoc non est quod mireris, dummodo reputes, liberos mala quam a parentibus ingeneratam accepere, diathesi jam ante partum ad hoc malum quasi constitutos et proclives esse. Hoc autem praesertim tum accidit, si parentes vel ipsi scrofulis obnoxii fuerunt, vel aliis causis ita se debilitaverant et enervaverant, ut fieri non potuit, quin liberos ipsos scrofulosos procrearent. Si contra in homine ad omnes partes sano et valido hydrocele apparuit, in quaerendis et indagandis causis vita ab aegroto ante acta respicienda est; quae sine ulla dubitatione docebit, vel ictum, vel contusionem, vel aliud damnum mechanicum aliquando affuisse, unde immodica illa humorum exsecretio et congeries non potuerit non moveri.

§. 9. *Prognosis hydroceles.*

In universum animadvertendum est, prognosin bonam esse, morbumque ipsum apta ac idonea curatione, dumne aliis malis corporisque affectionibus turbetur et impediatur, radicitus tolli posse; ubi autem una cum hydrocele induratio testiculi conjuncta est, nonnisi hac medicamentis aut manu sublata et testiculo ad naturalem statum et rationem reducto, curari potest. Quin etiam hydrocele pura sine ullis remediis et medicamentis praesertim in infantibus sponte evanescit, in universum autem natura per se ad morbum sanandum et depellendum non ita valida cernitur.

§. 10. *De via ac ratione, qua natura hydrocelae medetur.*

Hydrocele si neque manu neque medicamentis aufertur et aegrotus manibus quotidianum quaestum et victum sibi comparare coactus est, ad tam insignem, ut idem vir illustr., quem jam supra laudavimus, Astlejus Cooper l. c. p. 101. docuit, amplitudinem accrescit, ut nimia distentione tunica vaginalis et scrotum inflammetur, quo omnes humores non solum plane resorbentur, sed etiam iterum confluere prohibentur. Tunica enim vaginalis, eodem auctore, parte aliqua sphacelosa fit, eaque rupta humores effunduntur, inflammatio accedit suppuratoria, granulationes proveniunt atque aegrotus ita funditus a malo liberatur. At haec naturae ratio medendi ut est lenta et diuturna, ita etiam vitae periculosa, cui rei testimonium viri illustrissimi Cooperi afferimus, qui aliquando Londinii in nosocomio, quod a Guy nomen traxit, hanc naturae medendi viam accuratius observavit, in qua symptomata tam vehementia erant et periculosa, ut desperaret, hominem aetate provectiorem vel debilem talem medendi rationem esse superaturum.

§. 11. *De cura hydroceles.*

Omnia remedia pharmaceutica, quae ad hydrocelen depellendam et curandam ex antiquissimis temporibus laudata et adhibita sunt, nihil, ut viri doctissimi sunt experti, vere valuerunt. Quare sufficiat ex omnibus medicamentis apposuisse hydragoga, e. c. scillam, digitalem et spiritum nitrico-aethereum; porro medicamenta maxime discutientia, rubefacientia, ulcera artificialia. Quae igitur omnia quum, ut modo dixi-

mus, aegris non subveniant, et ipsum setaceum malo radicitus tollendo nihil opituletur quod chirurgi clarissimi et peritissimi saepius affirmarunt, nihil amplius restat, quam manum admovere.

Est autem cura aut palliativa, aut radicalis. Cura palliativa qua hoc tantum efficere studemus, ut ex cavo tunicae vaginalis propriae testis humores, qui confluxerunt, effundantur, levior est, eamque ob sausam locum habet, ubi sine summo damno et periculo manus admoveri nequit. Hac pertinet, si homines natu grandiores vel debiles hydrocele infestantur, porro si testiculus ipse degeneratus est, aut si una cum hydrocele enterocele existit, quae cum testiculo concrevit; deinde si humorum congeries insignis, aut si in aperto non est, quae et qualis sit testiculi natura ac ratio et postremum, si aegrotus cultrum metuens eo adduci non potest, ut curam radicalem admittat.

§. 12. *De cura palliativa.*

Quamquam cura palliativa, quum ea malum funditus auferri nequeat, tertio quoque vel sexto mense, quo temporis spatio humores in cavo tunicae vaginalis propriae testis ad pristinam amplitudinem augeri solent, denuo instituenda est, tamen in iis, quos modo diximus, casibus, remedium est minime despiciendum, sed dignum, quod adhibeatur. Cura palliativa nihil aliud est, quam paracentesis tunicae vaginalis propriae testis et a paracentesi abdominis, quae eodem fere modo instituitur, eo tantum differt, ut in illa trocarto instrumento multo tenuiore et subtiliore opus sit. Operatio autem ipsa ita optime efficitur. Postquam aegrotus apte recubuit nec non trocartus ut in

paracentesi abdominis in promptu est, chirurgus manu sinistra inferiores scroti partes amplectitur ac cute ejus intensa manu dextra trocartum oleo perunctum una cum canale circumjecto apprehendit, digito indice juxta eum ad id extenso, ut ea tantum trocarti pars inde ab acumine promineat quam chirurgus scroto immittere vult, quaeque circiter sex decemve lineas explet. Instrumentum ita directum a chirurgo, dum scrotum et retro et sursum trahitur, inde a parte anteriore et inferiori versus partem posteriorem et superiorem per integumenta scroti in cavum tunicae vaginalis propriae testis immittitur, donec eo facilius intrante indicetur, id satis defixum esse. Tunc mucro ex canale manu laeva reprehenso manu dextra extrahitur et humores profluentes receptaculo excipiuntur. Quo major aquae copia effluit, eo altius canalis promovendus est, ne tunica vaginalis sese contrahens a fistula recedat humoresque in reliquas tunicas effundantur. Ubi major humorum copia confluxit, opus est effluvium saepius praecludere ut tunica se contrahere possit, neve animi deliquium excitetur. Si inter effluendum os canalis floccis aquae innatantibus obstruitur, specillum ad os aperiendum in canalem immittendum est. Jam vero quum fieri possit, ut humores in pluribus cavis subsederint, scire licet ea singula deinceps prorsus eadem quam modo diximus ratione evacuanda esse. Quod ubi effici non potest sive propter alias causas, sive quod contentum tam lentum est, ut aut non satis, aut nihil emanet, ratio operationis, natura et habitu aegroti non obstante, quum celerrime immutari debet scrotumque ut in operatione radicali tres quatuorve digitos diffindendum est, quod scalpello recto in specillo cavo, cui capulus deest quodque (specil-

lum) in eandem trocarti inducitur, dum tubus ipse supra specillum retrahitur, optime effici potest.

§. 13. *De cura radicali.*

Cura radicalis, ad quam nunc progredimur, diversis viis et rationibus fieri potest, et primum quidem:

1) incisione; tum
2) injectionibus; deinde
3) setaceo; porro
4) causticis;
5) turundis; denique
6) excisione tunicae vaginalis propriae testis.

Quamquam non facile quisquam negabit, jam sola cura palliativa aegris magnopere subveniri, tamen hoc luce est clarius, curam radicalem ei multo esse anteponendam. Dum enim illa malum tantum deminuitur et extenuatur, hac, ubi esse potest, non solum nimia humorum congeries ex tunica vaginali propria testis derivatur, sed etiam cavum, in quo humores contra naturae leges sese secreverant, funditus tollitur et deletur, ita ut, sede et provincia eversa et excisa, hydrocele quoque non extingui non potest. Id autem inflammatione plastica optime efficitur, eamque ob causam in hydrocele radicitus curanda omnia ea remedia recte adhibentur, quae ad inflammationem plasticam excitandam maxime valent. Quorum numerus quum non sit exiguus, facile est intelligendum, multas quoque ad hydrocelen funditus tollendam vias et rationes esse, ita ut vires nostrae vix ad eas accuratius describendas et dijudicandas suppeditent. Quare omissis ceteris de ea quidem methodo nobiscum vidisse juvet, quam chirurgi clarissimi inde a temporibus antiquissi-

mis usque ad hunc diem non modo omnium praestantissimam et certissimam cognoverunt et probarunt, sed etiam adhibuerunt.

Est autem ea „Incisio et ad partes excisio tunicae vaginalis propriae testis.“

Quae operatio Langenbeckio autore hoc modo instituitur. Crinibus a monte Veneris tonsis, aegrotus in mensa ponitur, ita ut paene libratus jaceat. Chirurgus ipse semper, sive hydrocele in dextra, sive in sinistra scroti parte infestat, ad dextrum aegri latus, medicus assistens autem ex adverso consistit, isque manu ad posteriorem scroti partem apposita cutem ejus apprehendit et contrahit, ut anterior scroti pars vehementius intendatur. Praesertim autem in hydrocele minoris ambitus quam maxime hoc videndum est, ut adjutor negotium illud accuratissime exsequatur, quia testiculus una cum tunica vaginali propria ita circumferri potest, ut tunica vaginalis sacculo similis retro trahatur, testiculus contra, qui proprie retro jacet, eo vertatur, quo incidere vis, ita ut pulpa testis facillime laedi possit. Postquam tumor hoc modo vehementius intentus et adductus est, chirurgus scalpellum convexum dextra apprehendit manuque libere pendente a parte superiore deorsum usque ad fundum scroti incisionem facit. Ex scroto ita diffisso primum tunica dartos fibraeque cremasteris apparent; iis autem dissecatis membrana subcaerulei nitoris, cui nomen est tunicae vaginali propriae testis, conspicitur, per quam demum ad cavum ipsum, hydroceles sedem, pervenimus, ex quo, simulac aperitur, digitusque index manus sinistrae quam celerrime illatus est, humores erumpunt. Quo facto in latere digiti in cavum tuni-

cae vaginalis propriae testis inducti tunica vaginalis forfice in longitudinem diffinditur et a singulis vulneris labris medico assistente adjutore protractis forfice particula praeciditur. Hydatides, quae non raro in cavo tunicae vaginalis reperiuntur, digitis apprehensae forfice vel cultro desecantur. Operatione absoluta ac postquam chirurgus accuratissime inspexit, num forte ex vasis sanguis prosiliat, quae ubi sunt extemplo obliganda sunt, epithemata frigida admoveantur et duabus tribusve horis post operationem vulneris labra sutura nodosa, ut Langenbeckius praescribit alligentur opus est. Si die post operationem tumor inflammatorius provenit, indicium est optimum, illam prospere successuram esse, quamobrem nihil est depellendus, fomenta autem frigida continuanda sunt. Saepe labra vulneris jam prima intentione consanescunt. Ubi contra abscessus oritur, aut canalis fistulosus ligatura transmittenda est, quum hic in testiculum non descendat.

At ne propter unum illum virum ceteros medicos neglexisse videamur, id quidem apposuisse sufficiat, multos aliam post operationem adhibere solere curandi rationem, nam vulneri ipsi turundum imponunt, labra vulneris paululum contrahunt, utque ea ita contracta maneant, longis emplastri adhaesivi fasciis totum scrotum circumligant, idque ita munitum denique suspensorio sustinent.

Quae quidem ratio quamquam per se non prorsus rejicienda est, tamen propter omnia, quae de hydroceles natura et curatione judicamus et supra attulimus, nobis non praeferenda videtur, quare eam aliis libere

relinquamus, ut nunc ad hydroceles curam secundariam transire possimus.

§. 14. *De cura secundaria.*

Ubi operatio perfecta est, ab initio ante omnia otiose et quiete vivere et omnino regimen antiphlogisticum prorsus salutare et necessarium est, ne reactio vehementior aut in universum aut ad partes oriatur. At si nihilominus pus movetur, veteris vincturae, quantum sine vi abstrahi potest, resolvendum est vulnusque de novo obligandum. Die nono vel duodecimo totus vulneris ambitus suppuratione granulosa plerumque affectus esse solet. Inprimis autem hoc curandum est, ut vinctura pura sit et a sordibus servetur, utque ubi fieri potest, bis per dies renovetur, ne pus altius descendat et subsidat; sub finem curae autem alligatura simplex et sicca sufficit donec totum vulnus cicatrice plane obductum est.

§. 15. *De malis et incommodis, quae in operatione esse possunt.*

Quum quaeque operatio violenta et vehemens sit, vix fieri potest, quin in hydroceles quoque operatione mala quaedam et incommoda accidant, quae manu vel remediis reprimere et repulsare medici est boni artisque suae officiique probe gnari et amantis. Ubi igitur sanguis ulterius emicat, aut tunica vaginalis, aut scrotum, aut peritonaeum vehementius inflammatur, vasa, quae sanguinem fundunt, substringenda sunt, nec non antiphlogistica et ad totum corpus et ad partes valentia adhiberi opus est; item ubi

gangraena imminet, aut pus subsedit, aut granulatio exigua et prava adest, omnia ea remedia locum habent, quae illis malis et incommodis adversari nota sunt; porro ubi prolapsus testiculi infestat, ibi repositione opus est, et ubi, ut hos denique commemoremus, intestinorum dolores sive spastici sive inflammatorii contrahuntur, ibi remedia antispastica et antiphlogistica dentur oportet e. q. s. s.

§. 16. *Exponitur de hydrocele, ex qua una cum hydatidibus scriptor ipse laboravit.*

Jam quum de hydroceles natura et indole, de sede, causis, symptomatologia, cura cetr. accuratius egerimus, spero, a lectoribus non ingratum haberi, si in extrema hac dissertatiuncula breviter de hydrocele exposuero, qua ipse aliquando affectus fui et postea plane sum liberatus. Initio mensis Januarii anni 1836. primo dolorem hebetem in scroto percipiebam, cui mox quoque levis affectio inflammatoria conjuncta cum rubore, calore, et tumore accedebat, causa, ut mihi videbatur, prorsus deficiente, ex qua origo mali repeti posset. Postquam per plures dies regimine antiphlogistico usus eram et suspensorium adhibueram, malum paulatim recedebat, donec diebus quatuordecim interpositis iterum tumor apparuit, qui prorsus eodem modo, scilicet diaeta recta et curiosa, quiescendo, suspensorio et antiphlogisticis lenioribus rursus amotus est. Quum accuratius inquirens causam scroti, ut videbatur, male affecti claram et apertam invenire non possem, femoralia angustiora auctores morbi accusabam. Sed etiam iis depositis malum non extenuabatur, immo tumor ad

id crevit, ut initio mensis Martii Dr. Stumpf, v. cl., medicum legionarium, consulere cogerer. Haerebat autem tumor in inferiore parte testiculi laevi, infra latior sursum versus fastigabatur, ita ut formam piro similem haberet; praeterea etiam fluctuabat, tactu nihil dolebat, et candela quo supra §. 4. diximus modo admota perspici poterat, dum testis ipse lucem non transmisit, sed obscurus mansit. Quae quum ita essent, dubitari non poterat, quin ex hydrocele laborarem, eamque ob causam non solum acquiescebam, sed etiam remedia discutientia et interna et externa applicabantur v. c. fomenta frigida ex ammonio muriatico et aceto scillitico etc., partibus ipsis affectis imponebam. Quae omnia remedia discutientia quum frustra essent, tumorque in dies cresceret, malum operatione radicitus exstinctum optabam. Quamobrem mihi a Dr. Stumpf v. cl. ad curam praeparandam decoctum Zittmanni praescribebatur, initio autem mensis Maji operatio ipsa radicalis de qua supra egimus, instituebatur et ita quidem ut incisio una cum excisione ad partes conjungeretur, simulque nonnullae hydatides ex cavo tunicae vaginalis forfice, quae a Coopero inventore nomen tulit, exscinderentur. Quatuor hebdomadibus post cura perfecta erat et usque ad hunc diem ab hydrocele prorsus liberatus sum et omnibus incommodis vacuus optima valetudine gaudeo.

THESES.

I.

Qui naturam spernit, litteras non diligit.

II.

Aneurysma verum arteriarum non ex atonia, sed ex inflammatione chronica originem ducit.

III.

In curandis plurimis morbis diaeta medicaminibus efficatior est.

IV.

Contagium syphiliticum et blennorrhoicum unum idemque est.

V.

Scirrhus mammae amputationem non indicat.

VI.

Helminthiasis non est morbus, sed morbi symptoma.

(8)